

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken


**Gratulatio Festiva Nuptiis auspiciatissimis ... Joachimi
Hagmeieri, J.U.L. ... Oldenburgico à Consiliis**


Stephani, Jacob

Oldenburg, 1649

Farbkarte

[urn:nbn:de:gbv:45:1-314036](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-314036)





Quid volitat pernix celebrem nunc fama per urbem;
Oldenburgiaci Comitum quæ splendida sedes?
Lætificus teretes rumor penetravit ad aures,
Haut suetæ levibus quæ sunt intendere rebus,
Omnia facta DEI sunt admiranda potentis.
Qui sapit, hoc patulo nihil unquam temnit in orbe:
Evenit haut quicquam quoniam sine numinis aura.
Stellula nulla poli convexi est spreta creanti:
Nomine quasque suo notat, ac Virtutibus ornat;
Imperet & stabili fungantur ut ordine cunctis.
Splendor at hîc dispar remanet melioribus astris.
Ast homines quia muta stupent hæc lumina cœli:
Quin ipsos homines igitur, compendia mundi,
Æternique DEI condentis imagine claros,
Miremur potius; genio meliore creatos?
Hos quoque sunt inter splendent qui luminis instar,
Præque aliis grandent magnatum culmine laudum:
Ut corylos inter pinus, grandesque cupressi;
Ut superat silices onyx, Gangetidos oræ.
Et genus, & Virtus, multo quæsita labore,
Quos vehit ac decorat, varijs & honoribus auget;
Et quibus ipse DEUS vires, animosque secundat,
Et calidæ infundit cælestia semina menti:
Hi superant alios; stellas ut stella comantes.
Cæruleas igitur vox est allapsa per auras,
Haut quaquam temerè; tædas quia nunciat orbi,
Vir præclare, tuas, meliori celte notandas:
Quæ probat omnipotens summi regnator Olympi.

